

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet aut robur quod absit sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et Monasterium Sancte Dei genitricis et virginis Marie de Brundulo Clugiensis dioc. Cist. ordinis, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem Monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem Monasterium impresentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo prefatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; apud Venetias Monasterium S. Benedicti cum omnibus pertinentiis suis. Monasterium S. Salvatoris de Nixia cum suis pertinentiis. Capellam S. Michaelis de Bagnolo; que omnia Monasterium vestrum ante quam Cisterciensium fratrum instituta susceperet possidebat; quicquid habetis in Curia de Bagnolo et in eius finibus; quicquid habetis in Sacco, et in Clogia maiori et minori; quicquid habetis in Senogalia et eius finibus; in Aggere Spatario; in Lacu de Monachis; in Capite Silve; in Agna et Anguillana; in Rovolone, in Laureto et Capite Aggeris; in Fogolana et in Cannis, et in Insulis Nixie, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, pascuis et usuagiis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane laborum vestrorum de possessionibus habitis ante Concilium generale ac etiam novallium etc. etc.

(In der Rota): † Fac mecum domine signum in bonum.

(Monogramm) Benevalete.

Ego¹ Gregorius catholice ecclesie episcopus SS.

Ego Iohannes Sabinensis episcopus SS.

Ego Iacobus Tusculanus episcopus SS.

Ego Thomas tit. S. Sabine presb. card. SS.

Ego Iohannes tit. S. Praxedis presb. card. SS.

Ego Guifredus tit. S. Marci presb. card. SS.

1) Zwei Punkte geben das Mass des E an. Den folgenden Unterschriften sind, wie gewöhnlich, verzierte Kreuze vorangestellt.